

nis more solito congregato, prout moris, est præfatus Dominus Judex civitatis Aquis super inferius propositis sibi consilium dari postulat, & requirit, & primo super requisitione, quam faciunt, Rev. in Christo Patres D. F. Angelus Vicarius provinciae Januæ Ordinis fratrum Minorum de Observantia Georgius Guardianus conventus ordinis prædictæ civitatis propter necessitatem fratrum infirmantium & asserunt velle balneum unum in monasterio ordinis prædictæ civitatis, & requirunt in dicto consilio velle concedi sibi de aqua bullientis conducenda per conducta expensis ipsorum fratrum, & non communis, & cum conditione, quod volunt obligari, & obligati esse, quod nulla alia persona exceptis dictis fratribus de Observantia, & ejus familia non possit, nec valeat balneare in dicto balneo fiendo seu fiendis, nec ipso, seu ipsis uti, nec frui, & in quantum per dictos fratres, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint contra fieret, quod sit in electione communis posse destruere dicta conducta, si ipsis videbitur, ita, & taliter, quod aqua non possit decurrere ad dicta balnea fienda per dictos fratres.

Super qua prima propositione conclusum, obtentum, & ordinatum fuit nemine discrepante, quod concedatur præfatis Dominis Vicario, & Guardiano, prout requisitum fuit, dummodo dictum conductum non inferat damnum balneis communis tam factis, quam fiendis, & aliis ædificiis per dictum commune fiendis, & in quantum inferret damnum, tunc licitum sit dicto communi posse auferre, & destruere dictum conductum &c.

Breve Pii II. Papæ confirmans foundationem conventus Cremolini facta a Marchione Isnardo Malaspina pro fratribus ordinis B. M. de Monte Carmelo.

383

M C C C C L I X.

Pius Episcopus SS. Dei dilectis filiis nobilibus viro Ill. Isnardo de Malaspina... dicti loci Cremolini, incolis, & habitatoribus dicti loci Aquensis diocesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Exigit vestræ magnæ devotioni sinceritas, quam erga nos, ac Romanam Ecclesiam geritis, ut votis vestris, in iis præsertim, quæ divini cultus augmentum respiciunt, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus; hinc est, quod nos in hac parte vestris supplicationibus inclinati vobis, qui ut asseritis de bonis vobis a Deo collatis quandam Ecclesiam sub vocabulo S. Benedicti in loco de Cremolino Aquensis diocesis fundare fecistis, quique ad ordinem B. Mariæ de Monte Carmello singularem geritis devotionis affectum, ut in loco dictæ Ecclesiæ domum pro nonnullis fratribus dicti ordinis, qui ibi perpetuo degant, ac Ecclesiam ipsam pro eisdem fratribus, cum cemeterio, claustris, campana, campanili, ortis, ortaliis, & aliis necessariis officinis de bonis similibus construere, ædificare, erigere, & ampliare pro nonnullorum dicti ordinis fratrum usu, & habitatione in perpetuum possitis, ac ipsis fratribus, quos in loco, seu erigenda domo hujusmodi pro tempore residere contigerit, ut illa recipere, ac fructus, redditus, & proventus dictæ Ecclesiæ,

qui trium florenorum anni de camera secundum communem æstimationem, & valorem annum, ut etiam asseritis, non excedunt pro luminaribus, & ornamentis inibi manutenendis perpetuo habere, atque fratres prædicti omnibus, & singulis privilegiis, indulgentiis, & gratiis præfato ordini, & domibus ejusdem a sede Apostolica generaliter concessis uti, & gaudere libere, & licite possitis auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus pariter, & indulgemus; jure tamen parochiali Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salva &c. Non obstantibus fel. record. P. VIII. prædecessoris nostri inter alia prohibentis, ne fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, castro, vel villa, seu in alio loco quocumque domos, aut loca de novo recipere, seu inhabitare præsumant sine aliqua sedis Apostolicæ licentia specialiter faciente plenam, & expressam de prohibitione hujusmodi mentionem, & aliis Apostolicis constitutionibus, nec non privilegiis, & indultis aliis fratribus dicti ordinis a præfata sede concessis, ac statutis, & consuetudinibus ejusdem ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque &c. nulli ergo &c. si quis &c. Dat. Mantuæ anno Incarnat. Dominicæ MCCCCLIX., decimo nono kal. julii P. N. anno primo.

Decreta Episc. Aquens. circa residentiam Canonicorum in Ecclesia Cathedrali.

M C C C C L X V I I I.

384

Nos Thomas Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Aquensis, & Comes. Cum ex injuncto nobis onere licet immeritis officii pastoralis omnium Ecclesiarum nostro tegimini commissarum statui, & reformationi sollicitè intendere tenemur adstricti, cujus reformationem ommittere, & in ea divini cultus defectum sine nostra reprehensione sustinere non possumus, ut taceamus de ratione administrationis nostræ, quam in extremo examine ante tribunal æterni Judicis nos reddituros esse cognoscimus, ea propter excitamur assidue ad ea ordinanda, per quæ diebus nostris divinus cultus in ea potius augeatur, quam minui, sive negligi videatur. Considerantes itaque, quod non debet reprehensibile judicari, sed secundum varietatem temporum statuta etiam variantur humana, inherentes quantum possumus canonicis sanctionibus circa celebrationem divinarum officiorum in ipsa nostra cathedrali Ecclesia de infra scripta constitutione cum Ven. F. nostrorum consilio, & assensu D. Friderici de Porta, decretorum doctoris, Sismundi de Sismundis, Gulielmi de Bellexiis, Antonii de Porta, Petri Nicoloxii Bullæ, Stephani de Morandis, Anselmi de Airardis, & Joannis de Sismundis de præfati residentium in civitate Aquensi, sive diocesis Aquensis, & majorem partem capituli constituentium taliter duximus providendum, non recedentes in totum a quadam constitutione sinodali facta sub Rubrica de Capitulo majoris Aquensis Ecclesiæ (*) imo ipsam potius confirmantes, declarantes, moderantes, & de novo per hanc nostram constitutionem ordinan-